

AB

59446



~~Sammlung
z. Anfertigung
von
Ust.~~

No 4039 *

FSS



THESES

DE NATVRA
LOGICAE AD VNI-
VERSVM ARISTOTELIS
Organon,

Quas præfide Clarissimo viro
ALBERTO CLAMPPIO I.V.D. &
Professore in Academia IVLIA,
publicè tuebitur

CORNELIVS MARTINI
Antuerpius.

Habebitur disputatio 2. die Nouemb. mane hora 7.



HELMÆSTADII
Excudebat Iacobus Lucius. Anno
M. D. XCI.



Iulius Cæsar Scaliger Excercitatus. 194. distinct. 4.

DVAE sunt Aquilæ solæ in natura rerum: altera bellicæ laudis, altera literariæ: illa potentia, hæc sapientia: Cæsar & Aristoteles. Vnicus poëtica Sirenophænix, Virgilius. Quibus vt ait de Bacchylide Pindarus, obstrepunt & obclangunt inepti Milui, Corui, Vultures: etiam noctuæ, atq; Vespertiones. Illi verò οἷοι πέπνυλοι, τῶνδε σκιοὶ αἰσῶσι.



139

I.



omnia, quæ vniuersi ambitu continentur bonum suum appetunt, ita vel maxime mens nostra ad perfectionem naturali instinctu fertur.

II.

Ea est veritas quam sequitur ipsa, & in qua, tanquam fine ultimo conquiescit.

III.

Sed enim veritas, cum in rebus abstrusissima sit, neq; menti statim obuia, discursu vtitur, quem græci *διαφοίαν* vocant, vt alia ex alijs colligendo finem assequatur.

IV.

Discursus ille syllogismus est naturalis, qui, quia ab imperfecta ratione proficiscitur, imperfectus & ipse est, nisi arte informetur, quam propterea logicam dixit Aristoteles, quod discursum rationis ad veritatem dirigat.

V.

Et quia rationem dirigit logica, quæ non vna re, sed omnibus, quib⁹ homines institui occupata est, non etiam inter quinque cognitionis nostræ habitus peculiarem sibi locum vendicabit, neq; ei certum genus entis subijcitur: sed instrumentum quoddam seu habitus quidam instrumentalis est, discursum mentis informans vt ipsa verum & falsum discernere queat.

VI.

Nam in primis rerum notionibus quatenus tales sunt, Logica non occupata est, cum ad Philosophiam pertineant. tantum ex ijs tanquam suo subiecto, secundas notiones fabricatur, instrumenta ad discursum quem diximus omnino necessaria.

VII.

Internus ergo finis Logicæ syllogismus est: huius exacta consideratio duas logicæ partes peperit, communem scilicet & propriam.

VIII.

Vtramq; perfectissimè tractauit philosophorum princeps.

ceps Aristoteles illam quidem, libris priorum, de interpretatione, & categoriarum: hanc posteriorum, Topicorum, & Elenchiorum Sophisticorum.

IX.

Communis Logicæ pars de syllogismo tractat in genere. Syllogismus autem cum ex propositionibus constet, propositiones ex terminis simplicibus, secundum triplicem mentis nostræ operationem, quæ est simplicia apprehendere eadem componere, compositis discurrere; triplici ad hanc partem opus erit doctrina.

X.

Quarum prima est, quæ docet quomodo simplices illæ notiones, quæ per mentem à rebus singularibus abstrahuntur, habiles fiant ad prædicandum, ut ex primis rerum notionibus simplicibus, secundas itidem simplices efformentur, quod ut fiat totam rerum vniuersitatem decem generibus distinctam à Metaphysico mutuatur Logicus.

XI.

Hanc suo vocabulo prædicamenta appellant, quæ numero sunt decem: Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio, ubi, Quando, Situs, Habitus, ex quibus substantia receptaculum & fundamentum est omnium reliquorum.

XII.

Quæ hisce prædicamentis continentur, quinque classibus distinguit, & sua facit Logicus, Genere, Specie, Differentia, Proprio, & Accidente: tot enim modis prædicari apta inveniuntur. Hæc Logico operi propterea à Porphyrio proposita, operam in prædicamentis locant.

XIII.

Simplicia noëmata si componantur, secunda oriatur Logices doctrina, itidem mentis secundæ operationi respondens, & ea est de enunciatione. Huius Aristotelis in lib. de Interpretatione, primo naturam, deinde affectiones considerat.

Natura

XIV.

Natura eius est, vt composita ex terminis simplicibus subiecto & prædicato quæ per nomen & verbum fiunt, semper aliquid aiat aut neget.

XV.

Quæ conditio cum quantitate enunciationis copulata, qua quælibet aut vniuersalis aut particularis, vel indefinita, vel singularis est, Oppositionum parit quinque species, contrarias, subcontrarias, indefinitas & quæ solæ semper verum à falso discernunt, contradicentes.

XVI.

Hisce postea addit Philosophus de infinitarum doctrina, repugnantia & cum finitis compositione, de effectis quæ modum habent annexum quo subiecto inest prædicatum, qui quidem modi tantum sunt quatuor, necesse est, contingit, possibile, & impossibile. Horum repugnantiam & consequentiam demonstrat.

XVII.

Propositionum legitima connexio parit syllogismum, de cuius constructione & affectionibus duos priorum scripsit Aristoteles, & inseruit hic tertiæ mentis operationi scilicet discursui: vnde & ab Aristotele definitur, Ratio in qua quibusdam positis, aliud quid diuersum ab his, quæ posita sunt, necessario accidit eo, quod hæc sunt.

XVIII.

Principia & fundamentum necessitatis syllogismorum omnium sunt dicta de omni & nullo: ad hanc amissim qui nulla ratione congruunt vt inepti & insulsi à quouis merito reijciuntur.

XIX.

Partes syllogismi, sunt duæ propositiones, à tribus terminis maiore minore & medio, quorum legitima collocatio tres figuras constituit.

A 3

Quando

XX.

Quando enim medius terminus prædicato conclusio-
nis subijcitur in maiore, de subiecto eiusdem prædicatur in
minore, primam: quando de utroq; prædicatur utrobiq; se-
cundam: quando utriq; subijcitur, utrobiq; tertiam.

XXI.

Et quanquam tres hæ syllogisticè concludant: tamen
quia dictum de omni & nullo, actu est in prima tantum, po-
tentia etiam in secunda & tertia, ut earum euidencia liquido
pateret, statim post explicationem trium figurarum, in syllo-
gismis puris & modificatis (hos enim propter propositio-
nes modales examinare necesse erat) ostendit Philosophus,
quomodo secundæ & tertiæ figuræ ad primam per reductio-
nem conuertantur.

XXII.

Neq; tamen sufficiat scire syllogismum construere, nisi
medijs abundemus, vnde copiam propositionum nancisca-
mur. Proinde Antecedentia, consequentia & repugnantia
conclusionis utriusq; partis examinare iubet, & quid ex
horum complexione concludatur quid etiam non, decla-
rat.

XXIII.

Deinde syllogismi subijcit analysin, in qua iubet 1. pro-
positum principale animaduvertere, ad syllogismum reduce-
re, in propositiones resolvere, videre quæ sint in toto, quæ
in parte, quæ maior, quæ minor, propositionum terminos a-
nimaduvertere, qualitates eorum, quas quatuor facit, metale-
psin concreti & abstracti, casum, reduplicationem, infinita-
tem, diligenter excutere.

XXIV.

Et hæc primo priorum: secundo tria tractat philosoph⁹
1. potestates quædam, ut plura concludendi, ex falsis verum
non contra circularem &c. 2. Imbecillitates, ut petitionem
principij, non propter hoc sequi falsum &c. 3. Affinia, indu-
ctionem exemplum &c.

Adhuc

XXV.

Adhuc communis illa veri inquirendi methodus: sequitur propria, quæ pro ratione triplicis materiæ, & finis in Apodicticam, Dialecticam & Sophisticam tribuitur.

XXVI.

Apodictica materiam considerat æternam & immutabilem, cuius scientiam efficit, hoc est, facit causam illam cognoscere propter quam res est, quod illius causa sit, & quod se res illa aliter habere nequeat.

XXVII.

Fit hoc syllogismo demonstratiuo, qui est ex veris, immediatis notioribus, prioribus & causis conclusionis: proinde omnia illius enunciata tribus necessitatibus prædita esse necesse est.

XXVIII.

Nimirum ut sint *κατὰ παντός, καθ' αὐτὰ, καθόλου πρώτα*, quas necessitates qui ad omnia artium præcepta transferunt, næ isti quid distent ira lupinis, aut nesciunt, aut certè scire nolunt.

XXIX.

Dicuntur hæc saltim de demonstratione *διότι*, quæ simpliciter dictam scientiam gignit: de altera enim quæ est *ὅτι* & ex causis remotis, vel ex effectibus, causam de subiecto demonstrat non nisi secundario agit Philosophus.

XXX.

Hæc ita tradit Aristoteles, ut a fine progrediatur per resolutionem, ad inueniendas condiciones principiorum: ijs inuentis, multas nos proprietates demonstrationis quæ illas condiciones sequuntur docet.

XXXI.

Proprietates vero demonstrationis duorum sunt generum, aliæ namq; competunt demonstrationi quatenus est demonstratio, & respiciunt demonstrationem propter quid. Aliæ vero demonstrationi competunt quatenus est definitio, quippe pertinent ad quæstionem simplicem, quæ dicitur quid est.

Primæ

XXXII.

Primæ statim post conditionem demonstrationis lib. primo explicantur: Libro secundo alteræ: vbi præstantissimam illam demonstrationis proprietatem, qua in definitionem vertitur, & satisfacit quæstioni, quid sit, declarat. Postea cum latius quædam tractasset, quæ præcedenti libro ommissa erant, transijt ad ipsa principia & quomodo cognoscantur ostendit.

XXXIII.

Dialectica materiam habet contingentem, itaq; veritatem efficit probabilem, & hic satis est, si tibi non contradicas. nam summè vera propter rerum inconstantiam & rationis nostræ imbecillitatem nequeunt. Propositiones ex quadruplici locorum genere Accidentis, Proprij, Generis, & Definitionis sumuntur, qui septem libris Topicorum apud Aristotelem explicati sunt. Octauo praxis eorundem monstratur.

XXXIV.

Sed non satis est quid sequaris nosse, nisi & quæ fugienda sunt perspecta habeas: itaq; sophisticas redargutiones in & extra dictionē discere Philosopho est operæ pretium.

XXXV.

Ista est generalis Logicę constitutio apud Philosophum, cuius ignorantia grauissimos olim peperit errores semper: nunc etiam eiusdem peruersio & mutilatio magis maiores in dies portendit.

Quæstiones

I.

AN verum sit quod Petrus Ramus asserit, Motum, tempus & locum ad logica pertinere.

II. An loci debeant primo loco collocari.

III. An Petri Rami syllogismus hic sit syllogismus, Octavius est hæres Caesaris, Ego sum Octavius, Ergo sum hæres Caesaris.

F I N I S.

59 446

AB 59 446


ULB Halle 3
002 631 334



S. 6.

WPA






No 4

No 4





THESES
DE NATVRA
LOGICAE AD VNI-
VERSVM ARISTOTELIS

Organon,

Quas praefide Clarissimo viro
ALBERTO CLAMPPIO I.V.D. &
Professore in Academia IVLIA,
publicè tuebitur

CORNELIVS MARTINI
Antuerpius.

Habebitur disputatio 2. die Nouemb. mane hora 7.



HELMÆSTADII
Excudebat Iacobus Lucius. Anno
M. D. XCI.

